

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

16 April 2003

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Boethius: The Trinity Made Easy

Haec autem religio nostra, quae vocatur christiana atque catholica, his fundamentis principaliter nititur asserens: ex aeterno, id est ante mundi constitutionem, ante omne videlicet quod temporis potest retinere vocabulum, divinam patris et filii ac spiritus sancti exstitisse substantiam, ita ut deum dicat patrem, deum filium, deum spiritum sanctum, nec tamen tres deos sed unum: patrem itaque habere filium ex sua substantia genitum et sibi nota ratione coaeternum, quem filium eatenus confitetur, ut non sit idem qui pater est: neque patrem aliquando fuisse filium, ne rursus in infinitum humanus animus divinam progeniem cogitaret, neque filium in eadem natura qua patri coaeternus est aliquando fieri patrem, ne rursus in infinitum divina progenies tenderetur: sanctum vero spiritum neque patrem esse neque filium atque ideo in illa natura nec genitum nec generantem sed a patre quoque procedentem vel filio; qui sit tamen processio istius modus ita non possumus evidenter dicere, quemadmodum generationem filii ex paterna substantia non potest humanus animus aestimare.

2. Theodulf of Orléans: you gotta watch them women

Esto et sollicitus propriae de parte iugalis,

Ne mentem maculet inliciendo tuam.

Oscula quae genibus, manibus, colloque, genisque

Blanda dabit, miscet lenia uerba quibus,

Sueta preces tali proprias armare ueneno,

Armat ut architenens inpigra tela suo.

Si tua mens fuerit munita casside forti,

Tela ut conspiciat hinc resilire sua,

Inde gemens rediet ficta et suspiria dando,

Flensque suas pondus non habuisse preces.

Mox puer, aut nutrix, aut fors ancillula mendax,

“Cur dominae”, dicet, “despicias orsa meae?”

Haec uultu uerso tacito dabit ista susurro:

“Qui modo conspicitur est mihi semper honor,

Quaeque petunt aliae, referunt, prosuntque, nocentque,

Voti nullius ast ego compos eo.”

3. King Harold survives the Battle of Hastings (honest!)

Prostrato igitur ac superato in primo congressu a Normannis exercitu Anglorum Rex Haroldus plagis confossus innumeris inter mortuos et ipse prosternitur. Nec poterant tamen quamlibet multa quamlibet letalia vulnera vitam funditus viro adimere quem pietas salvatoris ad vitam et victoriam feliciter disposuit reparare. Recedentibus itaque a loco cedis hostilibus castris a mulierculis quas miseratio ad alliganda sauciorum vulnera illuc attraxerat, exanguis jam et vix palpitans pugnator ille pridie potentissimus invenitur. Ab hiis Samaritani erga eum vices implentur, ab hiis in vicinum tugurium alligatis vulneribus suis deportatur. Inde a duobus ut fertur mediocribus viris quos francalanos sive agricolas vocant agnitus et callide occultus ad Wintoniensium deducitur civitatem. Hic biennio latebras in quodam cellario fovens a quadam muliere genere Saracena artis chirurgice peritissima curatus est et Altissimi cooperante medicina ad integerrimam perductus sanitatem.

4. Acca tries to persuade Bede to write a book

Reuerendissimo in Christo fratri et consacerdoti Bedae presbitero Acca perpetuam in Domino salutem. Saepe quidem tuae sanctae fraternitati et absens scribendo et conloquendo praesens suggessi ut post expositionem Actuum Apostolorum in euangelium quoque Lucae scribere digneris. Quod ipse hactenus uerecunda excusatione differre quam facere maluisti, adtestando te duas maxime ob causas a temptando hoc opere deterritum, quia uidelicet et ipsum opus arduum et a sanctissimo ac doctissimo antistite Ambrosio sit praeoccupatum; nec te negotium uires tuas excedens suscipere ausum, immo nec opus fore ab ullo repeti quod a summo ingenio constaret optime completum et esse laboris superflui post fortissima tanti uiri dicta uel eadem aliter quasi compilatorem dicere uel quasi minus doctum infirmiora uelle subicere teque multum timere ne in reprehensionem studii ueterum noua condere puteris dicaturque tibi illud antiqui prouerbii:

In mare quid pisces, quid aquas in flumina mittas?

Larga sed indignis munera funde locis.